



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 33. Purpuratorum Senatus hanc in rem Romæ a Papa coactus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI. annueret. Pontifex percepto hoc Auditoris sui responso penitus expugnatus, Sueffiæ Duci Hispaniæ Legato hæc significari iussit: „Haud ultra afflictiæ Franciæ malis remedium asserre cunctari valet Pontifex, quapropter „firmo statuit animo, sacrum Purpuratorum Collegium convocare, & perceptis singulorum sententiis id, quod „bonum, & æquum videbitur, decernere.“

## §, XXXIII.

*Purpuratorum Senatus hanc in rem a Papa coactus.*

*Thu. Avila  
S. lett. l. c.*

Enimvero Pontificis promisso fidei constantia adfuit; quippe die secunda Mensis Augusti feria quarta Senatum habuit, cui omnes intererant Cardinales, exceptis Ignatio Avalo Arragonensi Cardinale, & Octavio Parravicino. Itaque in hoc confessu Clemens VIII. Papa articulatim enarrabat omnia, quæ hucusque ipse erga Franciam, ac Henricus IV. erga Pontificem, sedemque Apostolicam gessissent: hisce autem expositis Cardinales ita alloquebatur: „Tandem huic negotio finem imponere, necessarium videtur: quocirca vos rogo, hortorque, ut rem mature ponderare velitis, hinc sigillatim post aliquot dierum spatium cunctos

„ctos advocabo, ut cujuslibet sententiam desuper percipere, ac tandem rem decidere valeam.,, Postea perlectis Regis literis, ac præfato libello suppliciti tandem hic Senatus solvebatur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1595.

§. XXXIV.

*Preces publicæ hanc in rem Romæ a Papa decretæ.*

Interim summus Pontifex solemnes supplicationes per universam urbem, necnon quadraginta horarum preces decernebat, ad implorandam in expediendo tantæ molis negotio Dei optimi Maximi gratiam: quinimo ipse Pontifex, ex ædibus Quirinalibus circa auroram exiguo stipatus comitatu nudis pedibus ad ædes S. Mariæ processit, & post longam orationem sacrum celebravit, & nudis, ut venerat, pedibus demisso capite neminem respiciens, flens, neque benedictionem occurrentibus impertiens, ad Palatium reversus est.

Thuan. 83  
Avil. l. c.  
lettr. 30.  
pag. 470.

Postea rem Divinam ipse peregit, & bina adhuc vice scilicet die quinta Augusti, necnon decima quinta ejusdem Mensis die, quæ erat Beatæ Virgini in cælos assumptæ sacra, eodem ritu hisce supplicationibus interfuit.

Porro Feria secunda, seu septima ejusdem Mensis sigillatim Cardinalium

li 4                      sen-